Istis omnibus sublatis. numquid si in nobis lucebit indigebimus. Ipsis hominibus dei
per quos haec minus tractata sunt nobis. cum lumen illud uerum clarumque ui
derimus; Remotis ergo his adiumentis quid illic uidebimus. unde pascetur
mens nostra. unde delectabitur ille. laetabitur unde erit illud gaudium quod
nec oculus uidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit; quid
uidebimus obsecro uos. Amate mecum. currite credendo mecum.
patriam supernam desideremus. supernae patriae suspiremus. pere
grinos hic nos esse sentiamus; Quid tunc uidebimus. dicat nunc euan
gelium; In principio erat uerbum et uerbum erat apud deum et deus erat
uerbum; Unde tibi ros inspersus est. ad fontem uenies; unde radius per
obliqua et per anfractus tibi ad cor tenebrosum missus est. nudam
ipsam lucem uidebis. cui uidendae ferendaeque mundaris; dilec
tissimi quod et hesterno commemoraui. Iohannes ipse dicit; Filii dei su
mus. et nondum apparuit quid erimus; scimus. quia cum apparue
rit. similes ei erimus quoniam uidebimus eum. sicuti est; sentio uestros af
fectus adtolli mecum in superna. sed corpus quod corrumpitur aggra
uat animam et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitan
tem; depositurus sum et ego codicem istum. discessuri estis et uos quis
que ad sua; bene nobis fuit in luce communi. bene gauisi sumus. bene
exultauimus sed cum ab inuicem recedimus ab illo non recedamus;

EXPLICIT XXXII INCIPIT XXXIII

AB EO QUOD DICTUM EST. UOS SECUNDUM CARNEM IUDICATIS
EGO NON IUDICO QUEMQUAM USQUE AD ID QUOD DICTUM
EST. EGO SUM QUI TESTIMONIUM PERIBEO DE ME
IPSO ET TESTIMONIUM PERIBET DE ME QUI ME MISIT PATER;

IN QUATTUOR EUANGELIIS UEL POTIUS IN QUAT
TUOR LIBRIS UNIUS EUANGELII SCS IOHANNIS APOSTOLUS
Non inmerito secundum intellegentiam spiritalem aquilae conpa
ratus. altius multoque sublimius aliis tribus erexit praedicationem suam.
& in eius erectione & nostra corda erigi uoluit; Nam ceteri
tres euangelistae tamquam cum homine domino in terra ambulabant.
de diuinitate eius pauca dixerunt. istum autem quasi piguerit in terra
ambulare. sicut & ipso exordio sui sermonis intonuit. erexit se

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0089